

exempla collegit *Misander* l. c. p. 1539. Vnicum tantum ex vetustioribus
 ob seculi infelicitatem & personæ splendorem maximè æstimandum afferre
 placet, *Alphonsi* scilicet *Sapientis*, qui juxta *C. Matthie Theat Hist.* p. 963.
 in *Hispania Regno* Patri successit Ao. 1252, & *Biblia Sacra* non solum quoad
 Textum, sed & cum Commentariis tunc exstantibus 14. vicibus perlegisse tra-
 ditur, teste *Panormitano* L. 2 apud eundem *Matthie* p. 964. Respectu nostri
 temporis addi meretur memoria *Serenissimi quondam, nunc Beatissimi Ducis*
Mecklenb. GUSTAVI ADOLPHI, cujus in S. literas studium satis exinde
 apparet, quod subtilissimarum in S. S. Theologia materiarum non cogniti-
 onem modo habuerit, sed & de ijs cum doctissimis Theologis, quorum
 maxime delectabatur consortio, tam coram, quàm per Epistolas conferre
 gavissus sit, prout vel ex *Epistolis ad Magnif. Dn. Præsidentem Patrem meum in*
Christo maxime venerandum D. FECHTIUM exaratis, & ab illo pretiosè instar
 cimelii asservatis, luculenter patet; cujus Beatissimi Principis erga Theologos
 reliquumq; Eruditorum ordinem non satis laudandus favor viget adhuc in
 dignissimo ejus successore *Serenissimo Duce FRIDERICO VVILHELMO*, quem
 Deus T. O. M. omni benedictione coronare ac cum *Serenissima Ducissa Conju-*
ge ac Familia per plurimos annos clementissimè conservare velit. Quod ad
 ipsum thema propositum spectat, constitueram quidem mecum, legitimum illud
S. literarum scrutinium considerare 1. generaliter ac in thesi; 2. specia-
 liter ac in hypothesis, quomodo scilicet istud in ecclesia Lutherana h. e. or-
 thodoxa observatum sit à primis ejus initijs ac hodiernum adhuc observetur
 sed ne nimis excrescat Dissertatio, primum saltem nunc præstare potero;
 idque faciam per deductionem quandam luculenti *Salvatoris* nostri effatè
Job. V. 39. ac *Jesaians*, quod illi parallelum est, dicti *Cap. XXXIV. 16.* quibus scru-
 tinium S. Scripturæ quàm efficacissime præcipitur. Ne igitur in Dictorum
 illorum tractatione à *me Jodas* progrediar, rejectis vel sepositis alijs, de
 quibus vid. *B. Pfeifferus Thes. Herm.* Cap. XV, tractandi modis, cum
 celeb. hoc Theologo concedam: Textui optimè satisfieri, & omnia ab alijs
 nonnullis late proposita commode pertractari posse, si præmittatur textus
dispositio; sequatur deinde Tractatio *Exegetica*, exhibens sensum literalem;
Problematica, quæstionibus adhibitis resolvens dubia circa textum mota;
Porismatica, tradens usus ex textu fluentes, & si opus sit, Sectio *extraor-*
dinaria, curiosa quædam addens occurrentia. Interim hac ratione illa ex-
 hibebò, ut tres faciam Sectiones; *primam*, quæ ipsa dicta eorumq; connexio-
 nem & dispositionem, adjunctis quibusdam eò spectantibus quæstionibus;
secundam, quæ exegetin ac quæstiones circa materiam ipsam occurrentes
 per certa capita juxta ordinem dispositionis; ac *tertiam*, quæ porisma-
 ta quædam exinde provenientia tradat, Deus me spiritu suo s. in omnem
 veritatem ducat! Amen.,

SECTIO